

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Salutem à Christo Filio Dei. Reverende vir &
parentis loco colende.

ET si nuper per scholæ vestræ alumnum, Constantinum Casarem, ad te literas dedi, tamen cum clarissimus vir, Dn. Köttericius, me admoneret, oblatam esse occasionem ad te scribendi, putavi committendum non esse, ut in me scribendi studium desiderares. Vix credo, tacituros Heidelbergenses ad tuum volumen. Nec tamen facile invenient, quod solide opponant. Defectum libri, quem misisti, ut proximis literis indicavi, expecto. Scire velim, an non liceat typographo vestro, qui ante aliquot annos inchoavit editionem mei libelli de vera præsentia corporis Christi in cœna Domini, quæ editio tum pravorum hominum arte impedita fuit, eandem pertexere. Haud dubie exemplaria distraherentur. Et typographus tanto damno non adficeretur. Significa quæso, an typographus inchoatum libellum absolvere velit. Illustriss. noster Princeps clementer mandavit, ut industriam aliquem & diligentem typographum quaererem, qui scholæ Lauingæ operam suam in ædendis libris locare velit: conditiones haud contemnendæ illi offerrentur. Noster qui Lauingæ est, deformem inscitiam, profligata negligentia cumulat. Si quid in hac re investigaveris, & hominem idoneum indicaveris, & Illustrissimo nost. Principi & scholæ gratificaberis. Magnam mihi voluptatem adfert, quod intelligo, Academiam vestram & frequentia discipulorum & varietate studiorum florere. Ferunt in Gallia novos exortos esse motus. Si quid certi habes, communica. Multi verentur, Tolerantiam novam novas turbas allaturam Ecclesiis: ut olim Interim. Verum nos toti à Christi pendemus clementia & protectione. Mitto gratiarum actionem pro conversione Eduardi Angli Jesuitæ. Tenuia sunt nostra, sed non tantum gemmæ & aurum, verum & caprarum pili offerebantur ad extruendum Domini tabernaculum. Verum & alterum libellum germanicum & conciones de justificatione typis evulgarem: si esset, qui sumptus præberet. Scribe, num aliquis apud vos sit typographus, qui Ecclesiæ hac in re gratificari velit: & num invidia nominis mei apud vestrum Senatam consenserit. Bene & foeliciter vale. Neuburgi, salutem Dn. Laurentio & collegis adscribo. 26. Octob. 67.

REV. I. additus

Tilemannus Heshufius.

CXXXIII.

Salutem à Filio DEI.

Freundlicher lieber Herr Bevatter. Uff unser vertrauen kan ich Euch nicht bergen/
Dass mich glaubtich angelanget/ wie D. Iltycus von einer Stadt in die ander ver/
folget